

Primo mense, decima quarta die mensis ad vesperam comeditis azyma, usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis, ad vesperam. Sed hæc responsio, ut ipsemet ejus auctor videre visus est, magnam vim infert Scripturis, ut patet, primo ex eisdem verbis proxime ab eodem adductis: *Primo mense, etc.*, post quæ statim subdit Scriptura: *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris*; ergo aperte declarat Scriptura ab illa vespera decimæ quartæ lunæ, usque ad illam vesperam vigesimæ primæ, quo tempore immediate ante præceperat comedi azyma, tantum numerari septem dies; et tamen in illa numeratione etiam concluditur, azyma comedendum cum agno paschali; nam illud erat edendum 14 luna ad vesperam. Atque hinc conficitur secundum argumentum supra indicatum; nam sicut agnus, ita et panis azymus præcipitur manducari decima quarta luna, ad vesperam; ergo utrobique eadem vespera accipienda est, propter argumentum supra factum; ergo vel illa est secunda vespera (quod intendimus), et sic impossibile est numerari octo dies azymorum, ut per se constat; vel est prima vespera, et tunc sequitur, verba etiam illa, *usque ad vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam*, intelligenda esse de prima vespera 21 diei, quia est idem locutionis modus, et eadem ratio significandi per vesperam initium diei, et quia alias erit voluntaria interpretatio, et æquivocatio. Atque hoc etiam modo, tantum numerabuntur septem dies azymorum; quanquam ille modus Scripturis etiam repugnet, ut statim ostendam. Tertio obstat huic evasioni, quod sine fundamento Scripturæ affirmat toto die 14 lunæ fuisse prohibitum fermentum, supponendo agnum fuisse immolatum in initio illius diei, et adhuc superesse septem integros dies azymorum, a principio 15 lunæ inchoandos; quod acate et considerate perspexit Aloysius; et ideo illam suam distinctionem confinxit. Antecedens patet, nam Exod. 12, ubi latius describitur, et præcipitur sacrificium agni, 14 luna ad vesperam, præcipitur quidem usus azymorum in illa cœna; de reliquo vero tempore illius diei nulla fit mentio, nullaque prohibitio fermenti, donec inferius septem dies azymorum præcipiuntur; ubi statim subditur: *In die primo non erit fermentum in domibus vestris, usque ad septimum*; et inferius additur: *Septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris*; et similiter dicitur Levit. 23, et Num. 28; octavi autem diei nul-

libi fit mentio. Quarto tandem, nunquam in Scriptura sacra 14 luna vocatur primus dies azymorum, ea ratione et modo, quo hæc sententia loquitur; nam, in testamento veteri, primus dies azymorum semper significat diem 15 lunæ festivam atque solemnem, ut manifeste patet ex citatis locis. At vero in Evangelio, quamvis interdum dies 14 lunæ dicatur dies azymorum, non tamen, quia ab initio ejus diei comederetur azyma; sed quia in fine illius erat comedendum, ut patet aperte ex supra dictis; nam quando discipuli dicuntur accessisse ad Christum primo die azymorum interrogantes: *Ubi vis, paremus tibi comedere Pascha?* nondum inceperant ullum azyma, quia nondum advenerat tempus comedendi agnum. Unde juxta hanc etiam sententiam dicendum esset, illam fuisse decimam tertiam lunam currentem; eamque vocari ab Evangelistis primam azymorum; sicque aliquo sensu numerari posse novem dies azymorum, quæ plane sunt absurda in Scriptura. Neque illa, quæ hic auctor in hujus responsionis persuasionem ex sacra Scriptura adducit, difficultatem habent; fatemur enim celeberrimam Phase, et solemnitatem azymorum esse diversas, in præceptis, in actionibus, in finibus seu rationibus earum, et aliquo modo in temporibus, non ita ut inter unam, et alteram tempus aliquod interponeretur, sed quod tempus Phase, quoad immolationem agni, inciperet ad vesperam diei, vergente jam sole ad occasum, et statim post solis occasum, oriente jam luna 15, et agnus ederetur, et simul inciperet azymorum solemnitas, quæ omnia in præcedente loco superioris tomii late tractata et demonstrata sunt.

11. Altera responsio prædicti auctoris est, dies azymorum omnino esse tantum septem, eosque numerari incipere a prima vespera lunæ decimæ quartæ; finiri vero in prima vespera lunæ vigesimæ primæ; et consequenter quod Scriptura dicit, septem dies azymorum observandos fuisse usque ad vigesimam primam diem ad vesperam, intelligendum esse exclusive, et de prima vespera vigesimi primi diei, ut idem sit, inquit, usque ad vesperam diei vigesimi primi, et usque ad initium vigesimi primi diei, juxta Hebræorum computationem. Sed hæc interpretatio, et divinæ Scripturæ, et toti antiquitati repugnat.

12. Primo enim constat ex divina Scriptura primum diem azymorum non fuisse decimam quartam lunam, sed decimam quintam; primum (inquam) diem azymorum intrinsece

ac legaliter (ut sic dicam); quod ideo assero, quia, ut jam dixi, decima quarta luna vocatur in Evangelio primus dies azymorum magis secundum naturalem ordinem dierum, quam legalem, et solum quasi extrinsece, eo quod in fine illius diei inciperet azyma, non vero quasi intrinsece, quia in toto illo die, secundum computationem legalem, observatio azymorum, et abstinencia a fermentato obligaret. Hoc autem, ex novo testamento, jam supra ostensum est; ex veteri autem testamento patet primo ex Levitic. 23: *Mense primo, quarta decima die ad vesperam Phase Domini est, et quinta decima die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est*; incipiebat ergo solemnitas azymorum in die decimo quinto; ille ergo erat primus azymorum; atque idem dicitur Num. 28.

13. Secundo, dies primus azymorum dicitur solemnitas et festivus, in quo nullum servile opus agere licebat, eisdem locis, et Exod. 12; sed dies decimus quartus non erat festivus, neque in eo necessario vacandum erat a servilibus operibus, ut omnes doctores antiqui, et moderni docent, exponentes verba illa Joan. 13: *Ante diem festum Paschæ*; nam ille dies festus erat decimus quintus, in quo mortuus est Christus; et dies qui illum præcessit, sine dubio non erat festivus, quia in tota illa celebrata Paschali tantum duo erant dies festivi, quorum unus erat dies decimus quintus, et alter ultimus azymorum, ut patet aperte Levit. 23, verbis paulo ante citatis, et aliis etiam locis sæpe notatis. Unde nullibi legitur prohibitio operum servilium in die lunæ 14, et ideo Marc. 14, legimus eo die dixisse Christum discipulis: *Ite in civitatem, et occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum, etc.*, usque ad illud: *Illic parate nobis*; non ergo erant illo die prohibita opera servilia; ergo non erat ille dies festus, quia sine vacatione ab opere servili non est dies festus, ut per se constat, et in specie notavit Josephus 3 Antiquitatum, cap. 10, atque in hoc conveniunt omnes auctores infra citandi; ergo sub hac voce, *primus dies azymorum*, nunquam intelligitur in testamento veteri luna decima quarta; ergo initium azymorum nullo modo sumi potest a prima vespera lunæ decimæ quartæ.

14. Tertio hinc plane sequitur, diem vigesimam primam non posse excludi a numero septem dierum azymorum, sed illam fuisse ultimam, æque festivam et celebrem ac primam, quia si dies decima quinta est prima,

non possunt ab ea numerari septem dies, nisi includatur tota dies vigesima prima, usque ad ultimam ejus vesperam.

15. Ad has vero objectiones respondent, diem 15 non vocari in lege veteri primum azymorum, sed primum solemnitatis azymorum; atque ita esse primum, non simpliciter in ordine azymorum dierum, sed solum quoad solemnitatem et festivitatem; diem vero septimum utraque ratione ultimum esse; vocari autem septimum non in ordine ad priorem diem festum, sed in ordine ad primum diem azymorum simpliciter. Sed in his omnibus (quæ revera omnibus expositoribus contraria sunt) magna vis infertur Scripturæ; nam Exod. 12, sic scribitur: *Septem diebus azyma comeditis, in die primo non erit fermentum in domibus vestris*; ubi sine dubio dies primus absolute dicitur in ordine dierum azymorum, quia eorum tantum facta erat mentio, et non alicujus festivitatis; et tamen de hac festivitate proxime subjungitur: *Dies prima erit sancta atque solemnitas*; in quibus verbis non aliter sumitur dies prima, quam in præcedentibus, tum quia est quædam velut repetitio ejusdem diei, et sanctificatio illius; tum etiam quia eodem modo dicitur statim dies septima, eadem, quæ in priori dierum numero septima erat; tum præterea, quia magna fuisset æquivocatio; tum denique, quia in illis verbis non potest vocari dies prima, ratione solemnitatis et festivitatis, quia nondum hoc statutum fuerat, sed illis eisdem verbis præcipiebatur; esset enim ineptissimus sensus, si ita diceretur: *Prima dies festiva erit vobis sancta et solemnitas*; est ergo sensus: *Prima dies azymorum erit vobis sancta, atque solemnitas*; et dies septima similiter azymorum eadem festivitate venerabilis. Id quod evidentius constat ex verbis Num. 28: *Septem diebus vescentur azymis; quarum (utique prædictarum septem dierum) prima venerabilis et sancta erit; omne opus servile non facietis in ea*; ergo eadem, quæ erat prima inter septem dies, erat festiva et solemnitas. Idem colligitur ex Levit. 23. Ex quibus locis aliud conficio argumentum; nam ex prædicta interpretatione sequitur, a primo die festo azymorum, usque ad secundum diem festivum, qui erat ultimus azymorum, tantum sex dies numerari; consequens est omnino falsum, tum quia generaliter, quancumque Judæi solemnitatem aliquam septem diebus celebrabant, primus et ultimus totius solemnitatis erant festivi, ut patet de Scenopegia, Levit. 23, et Num. 28;

eodem autem modo loquitur Scriptura de azymorum solemnitate; tum etiam quia Levit. 23, et latius Num. 28, præcipiuntur varia sacrificia diebus azymorum perficienda; et postea subjungitur: *Ita facietis per singulos dies septem dierum*; at vero certissimum est in die decimæ quartæ lunæ, quando offerebatur agnus, nullum aliud sacrificium fuisse offerendum ad solemnitatem azymorum pertinens, ut constat Exod. 12 et aliis supra citatis locis; ergo illa sacrificia incipiebant offerri in 15 die, quæ propterea nondum comederant Judæi, quando mortem Christi procurabant, et ideo de illis dixit Joan., cap. 19: *Non introierunt prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*. Igitur si illa sacrificia 7 diebus erant offerenda, oportet, ut a 15 die festivo, usque ad ultimum, septem dies integri numerentur; atque adeo, ut totus 21 includatur.

46. Aliud præterea argumentum ex eisdem locis desumi potest; nam ex prædicta interpretatione sequitur, manipulum primitiarum fuisse offerendum tertia die azymorum; qui Levit. 23, et Deut. 16, præcipitur offerri altero die a primo festo azymorum; si ergo ille primus dies festus non erat primus azymorum simpliciter, sed secundus, sequitur, diem oblationis manipuli primitiarum fuisse tertium; consequens est plane falsum, ut constat tum ex omnium Hebræorum, tum ex celebratione festi Pentecostes, quod post quinquaginta dies numerandos a die, in quo offerebatur manipulus, celebrabatur; constat autem ex die adventus Spiritus Sancti necessarium esse eos dies numerare a secundo die azymorum, ut latius tractavi superiori tomo, disput. 45, sect. 4; tum denique, quia id expresse affirmat Joseph., lib. 3 Antiq., cap. 40. Ex quo loco tota doctrina a nobis tradita manifeste confirmari potest. *Secunda* (inquit) *azymorum die, quæ est mensis hujus decimasexta, frugibus demessis, et hactenus intactis incipiunt frui; æquumque rati, Deum hujus ubertatis auctorem per gratitudinem honorari, hordei primitias offerunt in hunc modum: spicarum manipulum igni torrent, etc.* Ecce ubi manipulum dicit offerri secunda die azymorum; item eam diem fuisse dicit, decimam sextam mensis, quam non potuit vocare secundam azymorum in ordine festivitatum, quia non erat festiva; ergo in ordine azymorum simpliciter; atque ita in eodem sensu paulo antea quintam decimam diem vocaverat, azymorum festivitatis primam, ubi festi-

vitatem azymorum vocat non tantum dies prohibitos a servilibus operibus, sed absolute totum ritum azymorum, de quo subdit: *Nam hoc festum priori* (id est, sacrificio agni paschalis) *continenter succedit, duratque dies septem, per quos panibus non fermentatis vescuntur, et per singulos dies tauri jugulantur duo, etc.* Ex quibus verbis etiam confirmatur secunda ratio contra hanc expositionem facta; nam ex illis constat, septem dies azymorum per se numerari, in quibus omnibus propria sacrificia offerebantur, distincta ab agno paschali. Satis ergo ex his omnibus constat omnia, quæ in hoc primo ac præcipuo fundamento nostræ sententiæ assumpsimus, scilicet, solum esse septem dies azymorum, numerarique a prima vespera lunæ decimæ quintæ, et simul cum esu agni paschalis incepisse; unde fit consequens, tempus immolandi agnum fuisse posteriorem vesperam decimæ quartæ lunæ, quæ proxime conjungebatur cum initio decimæ quintæ.

47. Secundo principaliter probatur nostra sententia ex verbis ipsiusmet legis, adjunctis his, quæ antecedunt, et sequuntur, in 12 cap. Exod. Non enim (ut contraria opinio objiciebat) antiqua hæc et recepta doctrina fundatur in aliquo vulgari errore, aut circa significationem hujus vocis, *vespera*, aut circa modum computandi dies Hebræorum. Admittimus enim dies Hebræorum, saltem cæremoniales (quod præsentis instituto satis est) incipere a vespera usque ad vesperam; et consequenter in quolibet die duas vespervas, priorem et posteriorem numerari posse, quamquam non omnino ejusdem rationis. Hebræi enim (ut citato loco præcedentis tomi dixi) duas vespervas diei naturalis numerant. Una, quæ est pomeridiana, maxime a tertia, vel quarta hora post meridiem usque ad occasum solis; et hæc erat proprie posterior vespera, et finis diei cæremonialis. Alia vespera dici potest nocturna, ab occasu solis usque ad perfectas tenebras, in crepusculo scilicet noctis; et hæc erat proprie initium sequentis feriæ, seu festivitatis; et proprie non pertinebat ad præcedentem, nisi ratione cursus naturalis ejusdem diei. Quamvis igitur hæc omnia vera sint, nihil obstat, quo minus verba illa hujus legis: *Immolabitque hædum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam*, intelligenda sint de posteriori vespera decimæ quartæ lunæ. Primo quidem, quia ibi juxta veriore interpretationem sermo est de vespera pomeridiana ante occasum solis, aut

saltem illa præcipue includitur; nam est sermo de immolatione agni, quæ cenam antecedebat, et fiebat ante solis occasum, ut ex Josepho et aliis ostendi citato loco; ergo illa vespera necessario esse debet finis decimæ quartæ diei; nam alia similis vespera, quæ immediate antecesserat, erat pars decimæ tertiæ diei, non autem decimæ quartæ, quia nondum omnino inceperat; incipiebant enim festivitates seu sabbatha ab occasu solis, ut ex Evangelio et sepultura Christi satis colligitur.

48. Dices: hinc sequitur, cenam agni non solitam fieri decima quarta luna, sed decima quinta, quia fiebat post occasum solis, juxta illud: *Et edent carnes nocte illa assas igne*. Respondetur, secundum computationem cæremonialem dierum ita esse; imo hoc satis aperte in ipsa lege continetur; nam de immolatione dicitur, debere fieri 14 die ad vesperam; de cena vero solum dicitur debere fieri nocte proxime sequente, nulla facta mentione decimæ quartæ diei; quia vero de toto illo ritu, ut comprehendit immolationem et cenam, tanquam de una morali actione loquitur, quæ durante luna 14 inchoabatur, ideo tam loquentes de immolatione, quam de cena, solemus dicere, fieri solitam in vespera decimæ quartæ lunæ, maxime, cum secundum naturalem cursum utraque illa vespera intra eundem diem continetur, et hac ratione dicitur inferius in eodem capite: *Quarta decima die ad vesperam comedetis azima*, cum tamen esset comedendum post occasum solis; et est optimum testimonium Levit. 23, ubi prius dicitur: *Decimo die mensis hujus septimi, dies expiationum erit; affligetisque animas vestras in eo*; et tamen infra subditur: *Affligetis animas vestras die nono*; et ad declarandum hanc diversitatem additur: *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra*, ac si diceretur, ab illis duabus partibus, seu vesperis, duos naturales dies fuisse numeratos.

49. Secundo argumentor, quia in toto illo capite illa particula, *ad vesperam*, adjuncta alicui diei, significat postremam illius partem; ergo et in prædicta lege; consequentiæ vis est in superioribus probata, et antecedens etiam ex dictis probari potest; nam ostensum est, in illis verbis: *Decima quarta luna ad vesperam comedetis azima*, necessario esse sermonem de posteriori vespera, quia est sermo de azymo simpliciter, quod non incipiebat ante initium decimæ quintæ lunæ. Item

ostendimus, in illis verbis: *Usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam*, etiam intelligi posteriorem vesperam, quia in diebus azymorum necessario debet includi totus vigesimus primus dies; imo ad hoc significandum addita videtur illa particula *ad vesperam*; nam si dictum tantum fuisset usque ad vigesimam primam diem in sensu exclusivo, non oportuisset quicquam addere, quia ad attingendum vigesimum primum diem, necessarium erat attingere exclusive saltem primam vesperam ejus, ut per se constat; addita est ergo illa particula, *usque ad vesperam*, ut significetur percurrendum fuisse totum vigesimum primum diem usque ad finem ejus; quod etiam ipsa particula, *ad*, denotare videtur, ut patet etiam ex aliis locis Levit. 23: *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra*; et Genes. 30: *Redeuntique ad vesperam Jacob de agro coram Arca Domini usque ad vesperam*; et hæc est perpetua phrasus Scripturæ, ut vespera diei significet absolute finem diei, et fieri aliquid ad vesperam significat fieri in fine diei. Atque hinc sumo tertium argumentum; nam illa particula, *ad vesperam*, non sine causa addita est prædictæ legi; in aliis enim solemnitatibus, cum dies aliquis celebrari præcipitur, absolute id fit nulla determinatione facta; solum quando fit mentio Phase, determinatur hora, scilicet decima quarta dies ad vesperam, ut patet in prædicta lege Exod. 12, et Levit. 23: *Mense primo, quarta decima die mensis, ad vesperam, Phase Domini est; et quinta decima die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est*; et sic de cæteris diebus, qui ibi numerantur. Ratio autem hujus nulla est alia, nisi quia in cæteris diebus integri dies ad talem celebritatem, vel festivitatem pertinebant; aliquidque præcipiebatur totis illis diebus observandum, ut cessatio ab operibus servilibus, vel abstinencia a fermentato, vel aliquid simile; in die vero decimæ quartæ lunæ nihil præcipiebatur, præter immolationem Phase, in vespera illius diei efficiendam. Unde, ut supra dicebam, tota reliqua pars illius diei nec festiva erat, quia in ea non erant opera servilia prohibita; neque ad dies specialium solemnitatum pertinens, quia nulla specialis cæremonia in ea præcipiebatur, sed erat communis, sicut cæteri dies; ergo solum vespertinum tempus, et pars illius diei postrema sacra erat, et ad immolationem agni destinata.

20. Hoc argumentum late proponit Ribera supra quarto loco, quod dicit esse tam illustre ac validum, ut alia frustra requirantur; multaque erudite congerit in probando antecedente; in quo nullam rationem dubitandi invenio, quia neque auctor præcipuus contrariæ sententiæ illud negat, neque ullus unquam dixit (quod ego viderim) totum diem decimæ quartæ lunæ esse festivum, aut in eo fuisse opera servilia prohibita; imo neque totum fuisse feriatum aut sacrum, ob aliquam cæremoniam ad totum diem pertinentem; nisi fortasse qui existimant, illum fuisse primum diem azymorum simpliciter, quorum sententiam ostendimus esse improbabilem. Itaque certum est, tantum unam vesperam illius diei esse sacram. Quod autem illa vespera fuerit secunda, et non prima (quæ est argumenti consequentia) Ribera non probat, cum tamen, nec per se notum sit, nec necessariam connexionem habeat cum antecedente; unde ad illam ostendendam necessario utendum est argumento facto, quod Ribera in tota illa disputatione omittit, et mihi videtur esse capitale in hac materia, scilicet quod si illa vespera decimæ quartæ lunæ, quæ erat sacra, fuisset prima illius diei, cum tota reliqua pars illius diei non esset sacra nec ferialis, licitum fuisset post illam vesperam, atque adeo post esum agni paschalis redire ad fermentatum, quia nulla cæremonialis observantia erat præscripta; consequens autem falsum esse jam demonstratum est. Atque hoc modo potest eadem consequentia probari ex Innocent. III, lib. 4 de Altaris mysterio, c. 4, et Abul. in 2 part. Defensorii, cap. 8, quos ibi Ribera citat; sed apertius ex Josepho, lib. 3 Antiq., cap. 40, in illis verbis: *Nam hoc festum (scilicet azymorum) priori (id est, sacrificio agni) continenter succedit, duratque dies septem, etc.*; nullum ergo tempus commune, seu non feriatum, intercedebat inter vesperam ad sacrificium agni destinatum, et festum azymorum; erat ergo secunda, et non prima. Quarto, ad hoc ipsum confirmandum expendenda sunt illa verba Exod. 12: *Nec remanebit quicquam ex eo, id est agno, usque mane, etc.*, ubi sine controversia illud, *mane*, significat matutinum tempus diei artificialis proxime sequentis post noctem, in qua comedebatur agnus. Addit autem Joseph citato loco illum fuisse diem 15: *Sacrificium (inquit) quod tunc exeuntes fecisse diximus, Pascha nominatum quotannis instaurare lege jubemur, celebramusque illud per sodalitia,*

*nihil e victimis in sequentem diem relinquentes, quæ est quinta decima, et azymorum festivitatis prima.* Ergo nox immolationis agni immediate antecedebat lucem 15 diei. Atque ita intelligunt illud mane, pro quo nihil de agno paschali reservandum erat, Abul., supra, Deut. 16, quæst. 1, et in eundem locum Exod., quæst. 40 et 49, ubi Hug. Victor., et communiter reliqui expositores.

21. Tertium argumentum directe opponitur tertio argumento contrariæ opinionis; nam de fide certum est, Christum mortuum esse in artificiali die proxime sequente post noctem, in qua cœnavit cum discipulis suis, et sacramentum Eucharistiæ instituit, ut constat ex narratione Evangelica, et ex illis verbis Canonis Missæ: *Qui pridie, quam pateretur, accepit panem, etc.* Sed Christus Dominus mortuus est luna decima quinta circa vesperam; mortuus est enim juxta veram doctrinam in die festo; ergo cœnavit agnum nocte decimum quintum diem inchoante; cœnavit autem legitimo tempore a lege præscripto, et ab omnibus Judæis observato, ut dicta disput. 40, præced. tom., sect. 3, ostendimus. Ubi sect. 4, minorem propositionem hic assumptam probavimus, scilicet Christum mortuum esse in die festo, idque auctoritate Sanctorum Patrum Græcorum, ac Latinorum confirmavimus, quos hic repetere non est necesse; quibus Ribera addit Epiphan., lib. 3 contra hæreses, hæresi 70, et Chrysost., homil. 86 in Matth.; Hesychium, Levit. 23; et Bedam, lib. de Ratione temporum, cap. 45; et Innocent., lib. 4 de Sacro altaris mysterio, cap. 4; assert etiam Eugubinum, in 42 cap. Exod., referentem traditionem Hebræorum fuisse, decimam quinta die mensis Nisan redimendum Israel in diebus Messiae. Quomodo autem hoc ostendi possit ex Evangelio; quomodo item omnia, quæ a Judæis facta sunt in morte Christi, rite in die festo fieri potuerint, eodem loco fuse satis prosecuti sumus, et alia Evangeliorum loca late explicuimus, et ideo in hoc argumento confirmando, et expediendo tertio argumento contrariæ sententiæ hic amplius immorari non oportet. Quod enim de concordia inter figuram et figuratum in eo argumento addebatur, nullius momenti est, quia non oportet, ut figura in omnibus circumstantiis conveniat cum figurato; satis ergo est, quod intra eundem naturalem diem immolatio agni naturalis et typici peracta est. Eo vel maxime, quod illud sacrificium agni non tantum fuit figura sacrificii cruenti Christi,

sed etiam incruenti Eucharistici. Unde, cum hæc duo non fuerint in eadem diei hora oblata, non potuit per eandem figuram utriusque sacrificii tempus exacte, et quoad ipsam horam representari. Quod etiam in contraria sententia necessario fatendum est; nam, quod nos dicimus de die 15 comparato ad vesperam ultimam diei 14, ipsi necessario dicturi sunt de die 14 comparato ad præcedentem vesperam diem 13 terminante. Ex his, quæ hactenus tractavimus, et confirmata sufficienter est nostræ assertionis veritas, simulque expeditæ sunt prima, et tertia ratio contrariæ opinionis, quæ minoris momenti videbantur. Solum superest, ut secundæ rationi, quæ principale fundamentum illius sententiæ continet, et non facilem difficultatem habet, satisfaciamus; et nonnulla Scripturæ testimonia, quæ in ea attinguntur, exponamus. Duabus autem viis in hac re procedere possumus, primo contraria principia assumendo, totamque rationem in nostræ sententiæ confirmationem retorquendo. Secundo ostendendo eam rationem non recte colligere, etiamsi, quod assumit, concedatur. Priorem viam late persequitur Franciscus Ribera citato loco. Sic igitur argumentamur. Eodem ritu, eodemque tempore immolabant agnum omnes Judæi usque ad Christum, quo patres eorum illum immolarunt primo mense, ac die, quo de Ægypto exierunt; sed hi in prima institutione illius sacrificii obtulerunt illud in fine decimæ quartæ lunæ, et nocte sequente agnum comederunt initio 15 lunæ; ergo eodem modo postea actum est usque ad Christum. Minorem probo ex 12 Exod., ubi prius dicit: *Immolabit eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam;* et paulo post subditur: *Et comedent carnes nocte illa assas igni,* quod necesse est intelligi de nocte, quæ immediate sequebatur et conjuncta erat cum vespera immolationis agni, tum quia nulla alia certa nox potest designari; tum etiam quia illud relativum, *illa*, demonstrat noctem jam præsentem et inchoatam in illa vespera. Unde de eadem nocte plane intelligitur, quod inferius additur: *Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percussamque omne primogenitum in terra Ægypti.* Item infra dicitur: *Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti;* et infra: *Surrexitque Pharao nocte;* et infra: *Vocatisque Pharao, Moyse, et Aaron nocte, ait: Surgite et egredimini, etc.*; et infra: *Urgel antequam Ægyptii populum de terra exire*

*velociter;* et infra: *Et fecerunt subcinericios panes azymos; neque enim poterant fermentari cogentibus exire Ægyptiis et nullam facere sinentibus moram.* Quibus omnibus verbis, si recte ponderentur, per se satis verisimile fit, non potuisse Judæorum egressionem per diem integrum differri usque ad sequentem noctem, præsertim cum Ægyptii eos urgerent dicentes. *Exite, alias omnes moriemur.* Sed apertius hoc inferius declaratur, cum dicitur: *Nox ista est observabilis Domini,* certè non alia, nisi ea, quæ toties in eodem capite fuerat repetita, de qua subditur: *Quando eduxit eos de terra Ægypti, hanc observare debent omnes filii Israel in generationibus suis.* Atque hoc etiam est, quod Deut. 16 dicitur: *Observa mensem novarum frugum et verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo, quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte.* Quo loco negat contraria sententia sermonem esse de illa nocte, in qua Hebræi cœnarunt agnum, sed de proxime sequente; hoc autem esse falsum tribus modis ostendo. Primo, quia Moyses in hoc loco alludit sine dubio ad historiam, quam in Exodo retulerat; sed ibi tantum fecerat mentionem noctis cœnæ agni, et non proxime sequentis, neque unquam dixerat, Hebræos fuisse eductos in sequente nocte, sed in paschali; ergo de eadem loquitur in hoc loco. Secundo, quia supra manifeste ostensum est, noctem illam paschalem proxime subsecutam esse lucem 15 diei, ex verbis illis Exod.: *Nec remanebit quicquam ex eo usque mane,* addito testimonio Josephi explicantis illa de mane 15 diei; si ergo citata verba Deut. intelligenda sunt de nocte subsecuta post illum diem, sequitur Hebræos non fuisse eductos de Ægypto usque ad 16 diem, ad quem nox subsequens pertinebat, maxime juxta fundamentum contrariæ sententiæ, quod omnes dies Hebræorum a principio noctis computandi sunt; hoc autem repugnat illis verbis Exod.: *In eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti,* id est, prima die azymorum, seu (quod idem est) decima quinta illius mensis. Unde apertissime dicitur Num. 33: *Profecti de Ramesse mense primo quinta decima die mensis primi, etc.*; non ergo potest ille locus intelligi de nocte, quæ paschalem noctem subsecuta est, sed de ipsamet nocte paschali. Tertio, quia ibi est sermo de Phase celebrando; ergo etiam est sermo de nocte, in qua comedendum erat; ergo, cum redditur ratio, quia populus nocte de Ægypto egressus est, de